



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Institutio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

causa sunt positæ, illic verò, ut debitus honor eis exhibeatur, Cap. Tolos. 303.

Tertio, picturæ verò & imagines insolitæ, nulla in Ecclesia, vel etiam exempta, poni possunt, nisi priùs fuerint approbatæ ab Episcopo, & sic de miraculis, & reliquiis Sanctorum; ita fac. Concil. Trident. *capit. ul. de invoc. vener. & reliq. Sanct. & sacr. imag. & in has autem, ver. postremo.*

INSTITUTIO.

Institutio quatenus ad praxim episcopalem attinet, sumitur multis modis. Primò, pro confirmatione, seu provisione facta per Ordinarium, ei quem patronus legitimè præsentavit in beneficio juris patronatus, & sic *cap. 1. de reg. iur. lib. 6.* & ista pertinet ad capitulum sede vacante, & ad vicarium Generalem Episcopi, & sine speciali mandato, *cap. ex frequentibus de instit. & inf. in ver. Vicarius, dub. 14.* Secundò, sumitur pro collatione facta ab Ordinario, & sub ista cadit commissio curæ animarum. Tertio, pro investitura & possessione beneficii. Quarto, pro confirmatione electionis, vide Dyn. & Addit. ad gl. *in ca. 2. de reg. iur. lib. 6.* Quintò, pro constitutione officiali in aliquo loco, prout *in cap. 1. ver. nec pro eo. & ibi Gem. in nota. 3. de offi. ord. lib. 6.* volui hæc scribere ad evitandam æquivocationem, prout *in cap. cum illis, §. cum autem, de prebendis, lib. 6.* & sic sumitur *in d. cap. 1. de reg. iur.*

INDULGENTIA.

SUMMARIUM.

- 1 *An Prælati possit indulgentias concedere, & quot dierum, & an ante ipsius consecrationem.*
 - 2 *An Capitulum, Sede vacante,*
 - 3 *An possint publicari in Diocesi, absque Ordinarii licentia.*
 - 4 *An & quando revocentur.*
 - 5 *An indulgentiæ Legati à latere, & Episcoporum sint perpetuæ.*
 - 6 *Qua forma sint concedendæ.*
 - 7 *Que sublata.*
 - 8 *Cui loco possint concedi.*
 - 9 *Quibus causis sint concedendæ.*
 - 10 *An existens in peccato mortali in hebdomada in qua fit Iubilæum, si faciat omnia, que in eo iubentur, & die Dominico confitetur peccata sua, & communikat, lucretur Iubilæi gratiam.*
 - 11 *An ille cui iuncta fuit pœnitentia, putà, ut per quadraginta dies jejuset, ut per septem annos faciat hoc aut illud pro pœnitentia iniuncta, sine satisfactione suorum peccaminum, si lucretur Indulgentiam quadragenariam, vel septennalem, teneatur dictam pœnitentiam adimplere.*
- A**D Primum respondetur, posse, etiamsi fuerit solum electus, sive postulatus, modò sit confirmatus, licet nondum consecratus, etiamsi non sit presbyter. Sylvest. *in ver. Indulgentia, numero 13.* & solum 40. dierum, vel annum in dedicatione Ecclesiæ, *cap. cum ex eo, de pœnitent. & remiss. Sylvest. loco*